

1996-09-05 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Lucis Matrem’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

LUCIS MATREM

**IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS, QUAE SUB TITULO
«CONSOLATRIX AFFLICTORUM» IN ECCLESIA PAROECIALI LOCI V. D. MIEDZNA
IN DIOECESI DROHICZINENSI PIE COLITUR, PRETIOSO DIADEMATE REDIMITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Lucis Matrem fecundam et Virginem purissimam omnis populus christianus firmiter confitetur Reginam caelestem, ad quam sane constanter in omnibus necessitatibus confugit, «quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariae manus non transiret» (S. Bernardus, *Sermo III in Vig. Nativ. Domini*, 10; *PL* 183, 100).

Instante igitur Venerabili Fratre Antonio Pacifico Dydycz, Episcopo Drohiczinensi, vota cleri et christifidelium expromente, concessimus die XXVII superioris mensis Iulii ut gratiosa imago Beatae Mariae Virginis, quae sub titulo «Consolatrix Afflictorum» in ecclesia paroeciali loci v.d. Miedzna pie colitur, Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate redimiri posset. Nunc autem, ut huius Nostrae concessionis sollempnisque istius imaginis coronationis memoria in posterum perennis vigeat ac pariter fidelibus incitamentum sit ad hoc Immaculatae Dei Genetricis Mariae sanctuarium devote invisendum, has Litteras Apostolicas dari iubemus, testes verissimas tam fausti eventus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Septembris, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status